

**1983-07-25 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Constat Christifideles’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

**CONSTAT CHRISTIFIDELES**

**BEATA MARIA VIRGO TITULO «NOSSA SENHORA MÃE DA DIVINA GRAÇA»  
NUNCUPATA PRINCIPALIS APUD DEUM PATRONA DIOECESIS  
DE PONTA GROSSA IN BRASILIA CONFIRMATUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Constat Christifideles in Brasiliae regione, quae Paranensis vocatur, degentes Beatam Mariam Virginem titulo «Nossa Senhora Mãe da Divina Graça» invocatam egregia pietate tolerare ac peculiari quidem cultu veneram. Qua re ductus Venerabilis Frater Geraldus Micheletto Pellanda, Episcopus de Ponta Grossa, Auxiliaris sui necnon cleri populique excapiens vota, electionem Beatae Mariae Virginis titulo, quem diximus, nuncupatae in Patronam principalem apud Deum eiusdem dioecesis rite probavit atque, datis litteris die II mensis Iunii hoc anno, petivit ut electio et approbatio huiusmodi ad normam «Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, confirmaretur. Nos igitur enixas cupientes preces exaudire, comprobatis iis, quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, factis a Nobis facultatibus, hac in re egit, de plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem titulo «Nossa Senhora Mãe da Divina Graça» invocatam principalem apud Deum Patronam dioecesis de Ponta Grossa confirmamus, omnibus adiectis iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus. Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque effectus nunc et per saecula habeant, contrariis quibuslibet non obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Iulii, anno Iubilaei Reparatae Salutis MCMLXXXIII, Pontificatus Nostri quinto.*

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*